543 4° 21
Lane Medical Library

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICO - CHIRVRGICA

DE

FVNGO ARTICVLORVM

QVAM

RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DOMINO

CAROLO AVGVSTO

DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM ANGARIAE ET GVESTPHALIAE LANDGRAVIO THVRINGIAE REL.

CONSENSV GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS

PRO

GRADV DOCTORIS

SVMMISQVE HONORIBVS AC PRIVILEGIIS IN MEDICINA ET CHIRVRGIA RITE CONSEQVENDIS

PRIDIE CALENDARVM APRILIS CIↃIↃCCCI.

PVBLICE DEFENDET

AVCTOR

JOANN. THEODOR. CHRISTIAN. BERNSTEIN

ILMENAVIA THVRINGVS

IENAE

EX OFFICINA FROMMANNI ET WESSELHOEFTII

MDCCCI.

Digitized by the Internet Archive
in 2026

https://archive.org/details/IA40153516_0123

Lane Medical Library

AMICIS CONIVNCTISSIMIS SVAVISSIMISQVE

CAROLO AVTENRIETH

IVRIS VTRIVSQVE CVLTORI

CAROLSRVHA - BADENSI

ET

CAROLO BERGE

MEDICINAE ET CHIRVRGIAE CVLTORI

HALBERSTADIENSI

HAS STVDIORVM PRIMITIAS

IN AMICITIAE SEMPITERNAE MEMORIAM

SACRAS ESSE VOLVIT

AVCTOR

THEODORVS BERNSTEIN

Omnes articulorum morbi frequentiſſimis difficultatibus variisque ſymptomatibus aegrotis periculum, chirurgo dubia parant. Plerumque hoc accidit genu, propterea, quod tum frequentiſſimis acerrimisque motibus, tum externis laeſionibus, facilius afficitur. Horum autem morborum nullus periculoſior illo, quem in hac diſſertatione deſcribendum mihi ſumſi, qui anglico ſermone *White ſwelling*, ſeu tumor albus, melius autem *fungus articulorum* appellatur.

Ipſum articulorum fungum deſcripturus, generalium de natura, de praecipua hujus articuli ſtructura, obſervationum nonnullas praemittam. Ubi oſſa tantum vel ſibi invicem aptata vel inter ſe connexa ſunt, ibi fines eorum laevi et elaſtica cartilagine ſunt obducti, quam lubricam reddit mucoſus vel potius oleoſus humor, particularum aquoſarum, oleoſarum et mucoſarum ex commixtione conſtans. Partes aquoſae a minutiſſimis arteriis, in ligamenta capſularia aeque ac in membranas glandularum articularium ſe dilatantibus, exhalantur. Mucoſae et oleoſae

partes autem ex glandulis articularibus ſic dictis proveniunt, ſub quibus maſſa adipoſo-glanduloſa cum fimbriis ſuis *) intelligenda eſt, quae ſubtili vaſis ſanguineis abundante membrana obducta, intra articulorum ligamenta, plerumque in propriis oſſium cavitatibus, locum ſuum habet, ita, ut ſub motu harum partium premantur quidem leniter et liquorem ſuum effundant, tamen vero ex preſſione detrimentum capere non poſſint.

Quilibet articulus hoc modo conſtitutus eſt, etſi motibus eorum natura adhuc varia adminicula ad ejus ſecuritatem et fortitudinem addidit. In genu prominentia ſublimiaque extrema femoris ab idoneis cavis tibiae recipiuntur. Praeterea illud adhuc aliis cartilaginibus ſemilunaribus inſtructum eſt, quibus motus aequaliores, firmiores et faciliores efficiuntur; dantur quoque adhuc nonnullae fortes aponeuroſes, articulum ſupereminentes, ſeque parti inferiori adfigentes, cum ligamentis per textum celluloſum conjunctae. Nec ſilentio praetereunda ſunt valida ligamenta lateralia et ligamenta cruciata hujus articuli, quae robur et firmitatem articuli augent. Omnibus hisce partibus communia corporis integumenta ſuperimpoſita ſunt.

Cl. Jaeger (a) docet, fungum articulorum eſſe tumorem praeternaturalem, frigidum, plerumque dolore

*) *Loderi* Tab. anat. Tabb. XXIV. Fig. 4. Tab. LI. Fig. 7. 8. 9. 10.
(a) *Jäger, I. C.* Beyträge zur Erläuterung der Entſtehungsurſachen und der Heilarten des Gliedſchwamms. Frankfurt 98. 8.

non adfectum, elasticum, durum, spongiosum, eundemque prope articulum semper inveniri, nullaque inflammatione aut cutis mutatione initio indicari, nec unquam, nisi curatione ignava aut falsa, inde oriri tumorem inflammatione aut dolore conjunctum. Ceterum magis invenitur latus et planus, quam rotundus et convexus, quibusdam tamen mensibus praeterlapsis totum occupat articulum, qui quidem, ita affectus, non prorsum protendi potest. Non autem omnis tumor prope articulum fungus articulorum declarandus est, qui nempe tumor distinguendus est

1. a *podagricis*, qui quidem cognoscuntur ex rubro cutis colore, ex ardore, quem digitis admotis sentimus, ex inflammatione vehementi et acerbo dolore, praecipue in eo loco, quo maxima cernitur inflammatio.

2. a *tumoribus cysticis*, qui dimoveri possunt huc et illuc, et in eo differunt a fungo articulorum, quod rotundi et circumscripti reperiantur. Praeterea fungus articulorum profundius sedet et firmius, et pressioni manus ob duritiem magis resistit: ejus circumferentia quoque major esse solet.

3. ab *hydrope articulorum*, qui cognoscitur ex mollitie, et impressione digiti manente: praecipuum vero hydropis articuli criterium desumendum est a fluctuatione aquae, quae altera manu dextrae parti articuli imposita, altera sinistram partem pulsante percipitur. Ceterum hic

morbus totum occupat membrum, ille autem tumor initio in una alterave articuli parte ſeſe manifeſtat.

4. a *criticis abſceſſibus*, qui morbos varios internos ſequendo, in iſtis quoque corporis partibus exoriri poſſunt, in quibus inflammatio adfuit, vel dolor et febris: antea omnia vera cutis mollities et ſuppuratio impedit, quo minus ejusmodi abſceſſus pro tumore articuli habeatur, qui durus et elaſticus eſt tactu.

Nemo auctorum, qui ante ſeculum nuper praeterlapſum vixerunt, mentionem fecit fungi articulorum. Commutatio autem nominis iſtius morbi cum alio, valde discrepante, ſatis probat ignorantiam proavorum, et cognitionem levem recentiorum, quod ad fungum articulorum attinet.

Rhazes, cui ob magnam medicinae cognitionem et miram aſſiduitatem jure nomen principis medicorum Arabum convenit, mentionem facit morbi cujusdam, de quo antea nil commemoratum eſſe dicit. Ipſe eum adpellat *ſpinam ventoſam*, eumque praeterea corruptione et corroſione oſſium effici, ac dolore pungente et tumore conjunctum eſſe docet.

Cum autem iſte morbus in nonnullis ſymptomatibus cum fungo articulorum, de quo ſermo eſt, conveniat; a recentioribus nomen *ſpinae ventoſae* datum eſt fungo articulorum et aliis articulorum tumoribus, in quibus os cor-

rumpitur, et integumenta externa tumefcunt. Morbus, de quo *Rhazes* loquitur, cum fungo articulorum comparari poteft, fi ita provectus eft, ut caries inde exoriatur.

Ipfe *Severinus*, egregius vir, in tractatu de ulceribus in articulis, inprimis infantum, in hoc erraffe videtur.

Vbi de natura iftius morbi loquitur, inquirit, quousque nomine fpinae ventofae in hoc morbo uti poffimus, deinde nullam vocem Europaeis ad morbum hunc defignandum fufficere poffe declarat, ipfe *paedarthrocacem* eum nominari mavult. Verba funt: (*b*) „Num igitur ventofi-„tas ad eum modum eft dicta, quo apud *Avicennam* „et alios quosdam, item barbaros, tumor eft inflammatio? „Spina vero vocatus eft tumor ex acuto fanguine, fine pul-„fatione conftans, qualem fpinam appellavit *Avicenna*. „Verum enim vero quid non contenti fumus eo, quod „*Rhazes* aperte declaravit, in opera omnia continente, „dicens ventofitatem hanc fpinae dictam propterea, quod „ipfa os perforetur. Nos autem, quacunque fit barbari vis „atque etymon, offis circa articulum in puris abfceffum, „graeco verborum complexu, *paedarthrocace* quafi puro-„rum ad articulos malum infcribi voluimus."

Pofteaquam repetiit quae jam locutus eft, dubitat,

(*b*) *Severinus* de paedarthrocace. p. 337.

fore, ut morbus de quo differuit, idem fit, quem defcripferat *Rhazes*, propterea quod in altero dolor fit vehemens, in altero levis. „Porro ventofitatem fpinae reliquimus „barbaris, Arabibus et hisce populis, quibus eft hoc mali „fortaffis endemion; apud noftros equidem incertus fum, „an aliquando fe prodiderit ejusmodi vitium, nifi for- „taffe quantum vulgaris offis teredinis, aut abfceffus a „veteribus graecis cogniti fpeciem habet: longe autem alia „res eft abfceffus offis ad articulos, puris nafcens, quam „rem tamen *Pandolphinus* cum ventofa fpina confudit; „hac una in re potiffimum arguendus, quod gratis et in- „confulto (pace fit hominis dictum) plurimam doloris acer- „bitatem imputat huic abfceffui, qui nullum obfervatione „noftra dolorem adfert, praeterquam ubi perfectus et „confummatus marcor offis, putrido carnis adhaefu, paulla- „tim fiftulaverit."

Merklin (c) difcrimina morborum illorum, de quibus *Severinus* mentionem fecerat, aftute explorata, apteque comparavit, ut, quod ille paedarthrocacem appellat, a fpina ventofa diftinguat: „Spinae ergo ventofitas et pae- „darthrocace, ut concludimus, non nifi nomine differunt, re „autem vera eundem notant affectum. Vel fi differunt, „differunt ut genus et fpecies, five ut latius et ftrictius quid, „ita, ut fpinae ventofitas, ceu genus, et latius quid, omnem „quidem internam, five a principio et interna cauffa pro- „ficifcentem offium cariem feu corruptionem, paedarthro-

(c) *Merklini* annotationes in *Pandolphini* Cap. VII.

„cace vero; ceu ſpecies, et ſtrictius quid, non niſi illam „a materia variolarum vel recurrente, vel minus recte ex- „pulſa, oriundam oſſium corruptionem.“

Inter auctores, quos *Cheſton* (*d*) allegavit, Wiſemann (*e*) primus eſt, cujus verba de hoc morbo paullum ſufficiunt; „Tumores, qui articulos corrumpunt, duplices „ſunt, ambo congeſtione excitantur, ſenſimque augentur, „ſed in eo discrepant, ut alter in exteriori parte tendinum, „inter cutem ſcilicet et tendines aut inter oſſa et tendines, „alter in oſſibus ipſe naſcatur. Qui in exteriori parte exi- „ſtit tumor, ligamenta et tendines adeo inficit et relaxat, „ut articulorum capita inde diſſocientur, membrumque ta- „bidum officio ſatisfacere non valeat. Plerumque ob hu- „morem, qui ligamenta et tendines nimium humectat, de- „bilitas et torpor articulorum tumorque exterior oritur, „deinde integumenta et oſſa humoribus acribus corrumpun- „tur. Quod quidem breviori tempore efficitur, ſi ejus- „modi tumorem perinde ac luxationem tonſoris curationi „comitttimus.“

Turner, ſequenti tempore in chirurgia fungum arti- culorum diſertis verbis pertinaciſſimis malis adnumerat, quae ex morbis ſcrofuloſis naſci poſſunt. Non multum

(*d*) *R. B. Cheſtons* patholog. Unterſuchungen und Beobachtungen in der Wundarzneykunſt, aus dem Engl. von *Scherf.* Gotha. 1780.

(*e*) *Wiſemann's* chirurgical Treatiſes. Chap. iv.

discrepat a *Wiſemanno.* „Ille tumor, inquit, ſemper „periculoſus eſt, propterea, quod maxime difficultates im„pediunt, quo minus ſolvi aut opprimi poſſit. Praeterea „ſi ulcus inde excitatur, verendum eſt, ne caries oſſium „interna naſcatur, ligamentisque corruptis, ulcera fiſtu„loſa et ſymptomatica ſequantur et tabies poſtremo exo„riatur, aut ſaltem rigiditas et torpor articuli inde pro„dire poſſit. Sunt quidem alia, quae hunc nobis indicant „morbum, ſymptomata ſcrofuloſa e. g. oculi purulenti, „tumor labiorum et glandularum in collo ſive ſub mento: „denique inquirendum eſt, an parentes eodem morbo la„borarint, ad liberos translato."

Cheſton quidem, „nondum perſpectum habemus, in„quit, an morbus iſte aliis ſymptomatibus ſcrofuloſis ſit „conjunctus, quia ſtagnatio in minoribus vaſis ligamento„rum et cartilaginum, perinde ac in vaſis oculorum, la„biorum et glandularum naſci poteſt.

Turner idem perſuaſum ſibi habuiſſe mihi viſus eſt, addit enim quod ſequitur: „ſi prima fuiſſet cauſa luxatio „aut contuſio, opus eſt majori prudentia in ferenda ſen„tentia."

Monro (*f*) *Sympſon* et *Freke* (*g*), pergit *Cheſton*, animadverſiones quasdam reliquerunt nobis, attentione

(*f*) Medicin. Verſuche, B. 4. Artic. 18 und 19.

(*g*) Heilungskunſt.

noſtra admodum dignas. Ceterum noviſſimo tempore *Reimarus* (*h*) mala enarravit horenda, quae peſſimum illum morbum ſequuntur.

Recentiores fungi articulorum duo genera ſtatuunt, prout ex diverſis cauſſis oritur, ideoque eum in *rheumaticum* et *ſcrofuloſum* dividunt; e. g. *Bell* (*i*) *Hamilton* (k) et alii.

Fungus articulorum *rheumaticus* ſedem ſuam in ligamentis articulorum et tendinibus habet, atque cum illarum partium inflammatione incipit, tumor tamen ſucceſſione quadam naſcitur, variis eum concomitantibus aliis rheumatismi incommodis. Jam ſub initio vehemens dolor totam tenet juncturam, atque ſaepius ad muſculorum vicinorum aponeuroſin usque refertur. Membro modo dolor aliquantum levior ineſt, illo vero extenſo crudelis et intolerabilis eſt, et cutis intumeſcit, ita tamen, ut calorem non perdat vel immutet. Tumor magis magisque creſcit, membrum vero ſub tumore imminuitur, dolor magis magisque exacerbatur, venae cutaneae varicoſae apparent, naſcuntur abſceſſus inſignes, qui, ut elaſtici, tactu percipiuntur, atque aperti aut ſua ſponte rupti initio pus bonum ac laudabile, poſtea vero materiam tenuem et foe-

(*h*) Diſſ. inaug. de fungo artic.

(*i*) Abhandl. von den Geſchwüren u. ſ. w.; aus dem Engl. Leipzig 79.

(*k*) Handbuch der militär. Arzneykunde; a. d. Engl. Leipz. 90.

tidam amittunt, ſaepe rurſus glutinantur, ſaepe denuo aperiuntur, poſtremo ſuper accidit febris lenta, atque aeger malo ſuccumbit. Oſſa ultima demum temporis periodo afficiuntur et deſtruuntur.

Ad *fungum articulorum ſcrofuloſum* quod attinet, in hoc juncturae oſſium a carie corripiuntur atque in tumorem tolluntur. Tumor externus ſub initio non adeo notabilis eſt, licet exquiſitus doloris ſenſus urgeat, ſed paullatim increſcit, ſicut dolor, qui initio levis eſt, ſed ſenſim ſenſimque mirum in modum increſcit. Motus membri, ut in ſpecie priori, ſummum affert dolorem ac moleſtiam. In ulteriori morbi progreſſu dolor imminuitur, tumor vero magis magisque augetur, atque oſſa in juncturis ſolito craſſiora evadunt. Tumor elaſticus tactu percipitur, venae intumeſcunt. Poſtremo in articulo oriuntur ulcera, materiam ſeroſam emittentia, quorum in imo os evidenter carioſum deprehenditur. Hoc in caſu funeſto aegrum febris lenta, medelam non admittens, ſemper fere jugulat. Scrofulorum vero ſignum eſt tumor glandularum lymphaticarum, ut plurimum colli, quae ſaepe rumpuntur, facile in ulcera fiſtuloſa abeunt, atque curatu perquam difficiles ſunt. Haud raro aliarum quoque partium glandulae ipſaeque partes interiores illis corripiuntur,

Proclivitas ad hunc morbum ſaepiſſime jam in tenerrima aetate tumore labii ſuperioris et cartilaginis narium pertinace ac diuturno, ſed fere indolente, item morbis glandularum Meibomii indeque oriunda ophthalmia pe-

culiari, saepe etiam dentibus infantum praemature cariosis, nec non crusta lactea aliisque eruptionibus cutis agnoscitur.

Fungus articulorum *rheumaticus a scrofuloso* in eo differt, quod in *rheumatico* dolor jam in principio morbi totam juncturam, imo saepe majorem musculorum partem, qui juncturae insunt, occupet, in *scrofuloso* contra dolor non in principio morbi tantum, sed etiam, illo diu protracto, aliquem duntaxat locum teneat. In *rheumatico* ligamenta juncturae primum, deinde ossa afficiuntur, in *scrofuloso* est ordo inversus. Prius genus, maxime juniores, praegressis laesionibus externis, posterius vero cacochymicos sponte infestat. Prius curationem adhuc admittit, posterius est fere insanabile vitium.

Tumor *fungi* artic. *rheumaticus* non, nisi partes molles, occupat, atque jam in principio morbi clare perspicitur, *scrofulosus* vero post longum tempus ab ejus accessione demum animadvertitur, tuncque os adfici manifestum est. Hae sunt duae praecipuae duplicis speciei *fungi* articulorum differentiae.

Brambilla discernit fungum articulorum *mollem* et *durum*. Quorum *primus* sub cute in tela cellulosa semper invenitur, ipse tumor saepissime adeo mollis, ut humor in eo fluctuans moveri videatur. Aperto autem tumore, nonnullae sanguinis guttae, saepissime nihil, interdum paullum humoris emanare solet, ipse autem spissa

gelatinofa conditione invenitur. Nec tumor apertus imminuitur. Humor autem, qui inde colligi poteſt, etſi mobilis videatur, non in uno ſinu, ſed in omni tela celluloſa adeſt. Impreſſio digiti haud remanet, id quod occurrit in oedemate. Hoc quidem fungi articuli genus interdum *periodicum* reperiri conſtat, ideoque mox augeri mox imminui, id quod coeli tempeſtas vel calida vel frigida efficit. Fungus articuli durus naſcitur interdum e molli, et gradatim creſcere ſolet. Tumor ipſe *durus*, reſiliens, profundus invenitur, ſedet aut in ſuperiori, aut inferiori, aut in utraque parte patellae. In ſuperiori patellae parte minori opera meliorique eventu ſanatur, quam cum in parte ſuperiori aut laterali eſt. Si per aliquod tempus duravit, articuli motus impedit, ſive genu rigidum reddit, ſimulac vaſa circa articulum varicoſa inveniuntur. Pes tabeſcit ſub genu, poſtremo caries et febris hectica advenit.

Jaeger (l. c. pag. 15.) in utroque fungo articulorum ab externa cauſſa ortis, cutem exteriorem, remediis adhibitis ſine inflammatione excoriatam eſſe docet, indeque magnam copiam humoris effluxiſſe, quamvis integumenta communia, in ejusmodi tumoribus ſicca, nec interiori malo, nec irritantibus aliisve medicamentis per longum temporis ſpatium corrupta, haud corrumpantur. Ejusmodi tumorem *exulceratum* appellari vult.

Si *fungum* articuli *rheumaticum* in cadavere aut amputata parte inveſtigamus; in articulo affecto nil praeter naturam animadvertimus, niſi quod ejus ligamenta valde

tumida ſint. Articulus nunquam debilitatus ſive adfectus conſpicitur, oſſa et cartilagines ejus incolumes ſunt, et ſynovia quoad copiam et conſiſtentiam non mutata eſt. Quamvis ligamentorum tumor morbi durationi reſpondeat, interdum tamen locum habent exceptiones. Saepius enim ligamenta valde tumida ſunt, licet morbus non diu duraverit, cum contra in aliis caſibus haec ligamenta fere ſana inveniuntur, etſi morbus per longum tempus aegrotum adfecerit.

Morbi vehementia aucta ulceribusque cumulatis, dolor vehementior et tumor major efficere ſolet majorem ligamentorum tumiditatem, quam fere ſemper, materiae ſpiſſae et viſcoſae in telam celluloſam articuli affecti effuſio ſequi ſolet, qua ex re elaſticitas explicari poſſe videtur, quae in ejusmodi tumoribus adeſſe ſolet. Interdum cum ulceribus magna bullarum copia in his tumoribus conſpicitur; quae autem omnia morbo progrediente ita ſunt veluti inter ſe coalita, ut nullo modo a ſe invicem diſcerni poſſint. In diuturno morbo, ligamentis jam infectis et abſumtis, cartilagines, et quod facile intelligi poteſt, ipſa oſſa carie corrumpuntur.

Fungum ſcrofuloſum diſſecando animadvertimus, capita oſſium, ſive condylos et tubercula, leviori quoque in morbi ſtatu tumeſcere, Saepiſſime hoc accidit oſſi unius lateris, nonnunquam utriusque.

Quae quidem oſſium tumiditas interdum ſine ullo alius

morbi evenit veſtigio. Saepius, morbo quidem adaucto, quae tali oſſi mollia et ſpongioſa inſunt, in tenuem, fluidam foetidam materiam ſolvuntur, incolumibus ſaepiſſime cartilaginibus oſſis, quae autem inſequenti tempore excidio reſiſtere nequeunt. Cum autem oſſium et molliorum partium eveniatur mixtio; aperto tumore, informia et penitus conſtricta corpora, invenimus, qualia primi generis tumores in ſtatu peſſimo etiam gignunt.

Primo morbi ſtadio, quae circa articulum ſedent partes molles, vitiari non ſolent, poſt aliquod vero tempus corrumpuntur, ligamenta tumescunt, tela celluloſa, his partibus interjecta, materia quadam pituitoſa, viſcoſa eademque albuminis ſimili repletur.

Cauſſae.

Cauſſa fungi articulorum *proxima* eſt extenſio praeternaturalis unius vel alterius ligamenti articulorum congeſtioque ſeri viscidi, tenacis, pituitoſi in receptaculo, a ligamento praeternaturaliter extenſo formato. Adhibita vi majori ſeparatio quarundam fibrarum ligamentoſarum, quae ſynoviae occaſionem praebet extravaſationi et in telam celluloſum effuſioni.

Cauſſae remotae ſunt vel *externae* vel *internae.*

1. *Cauſſae externae* ſunt omnes contuſiones laeſionesque, quibus articulorum ligamenta prae aliis atque ita

patiuntur, ut inflammatio inde oriatur. porro luxationes offium, quivis ictus, lapfus, frequens genuum flexio, quae omnia ad generandum articulorum fungum conferre valent.

2. *Cauffae internae* funt metaftafis cujuscunque materiae, aut materia variolofa, morbillofa (*l*), rheumatica (*m*), fcabiofa (*n*), fcorbutica (*o*), arthritica (*p*), fcrofulofa (*q*), venerea (*r*), eryfipelas (*s*), dyfenteria fuppreffa, obftructio et fuppreffio menftruorum et haemorrhoidum (*t*), metaftafis lactea (*u*) et quaecunque alia, confueti fanguinis fluxus cito fuppreffus, atque generatim quaecunque fecretiones et excretiones turbatae vel fuppreffae (*v*). Con-

(*l*) *Reimarus D.* de tumore ligamentorum circa articulos fungo artic. dicto. L. B. 57. §. 72. (V.) Conf. exempl. in cubito apud *L. v. Wyk.* Anmerk. N. 22.

(m) *Kirkland*, on the prefent State of Surgery. II.

(*n*) *Brambilla*, Abh. d. I. A. T. 1. p. 140. et Acta nat. curiof. Dec. II. ann. 8. obferv. 153.

(*o*) *Brauns* Nachricht v. d. in Rufsland herrfchenden Scorbut. In Medic. Comment. D. II. v. 11 p. 325.

(*p*) *Callifen* Princip. Syft. chirurg. hodiern. T. II. p. 21. *Fielitz* in *Richt.* chir. Bibl. B. VII. p. 178.

(*q*) *Bell* l. c. *Kortum* de vitio fcrof. T. II. p. 334. *Th. White* über Kröpfe und Scrofeln, p. 45.

(*r*) *Neffi* Unterricht in d. Wundarzneykunft, T. II. p. 175.

(*s*) *Gesner* Beobachtungen I. p. 212.

(*t*) *Jaeger* l. c. p. 26.

(*u*) *Cheston* l. c. p. 102. N. *)

(*v*) *Jaeger* l. c. p. 9.

tingere quoque poteſt, ut cauſſae externae et internae ſimul concurrant: ita, *Jaegero* (w) teſte, fungus articulorum crebris preſſionibus et contuſionibus excitatus eſt in genu. *Richtero* (x) teſte, fungi articulorum interdum, praegreſſa refrigeratione corporis, oriuntur, atque haud raro in ambitu patellae genu adparet tumor ſatis amplus, ſed indolens, in quo manifeſta fluctuatio percipitur. *Bell* in *Chirurg.* Vol. IV. *fungum* articulorum *rheumaticum* ſaepius in junioribus ſanguine abundantibus, quippe qui prae aliis ad moleſtias rheumaticas proclives ſunt, quam in hominibus temperamenti contrarii, fieri aſſerit. Scrofuloſus ut plurimnm ſponte naſcitur, ut cauſa ab aegro aut medico detegi nequeat.

Prognoſis.

Ex dictis quivis facile intelliget, *prognoſin* in omnis generis articulorum fungis fere ſemper dubiam, in ſcrofuloſis funeſtam eſſe. Fungus articulorum profundus ſemper periculoſior eſt, quam ſuperficialis. Si cutis in tumore immobilis aut patella ſolito mobilior eſt, malum periculoſum atque diuturnum eſſe ſolet. Fungus articulorum ſi ſupra vel circa patellam reſidet, curatu eſt difficilis. Fungus articulorum ex cauſſis internis ortus vitae diſcrimen ſummum et fere ſemper certam perniciem praeſignificat: idem valet, ſi cum aliis morbis combinatus

(w) *Jaeger* l. c. p. 9.

(x) Medic. chirurg. Bemerk. B. 1. Götting. 93, p. 313.

eſt. Rheumaticus curatu eſt facilior, quam ſcrofuloſus. Fungus articulorum inveteratus difficilius curatur quam recens. In fungo artic., a metaſtaſibus aut a corruptis humoribus orto, vix ulla ſupereſt curatio. Facilius longe et ſecurius fungus articulorum curatur, ſi tumor a tela celluloſa, nec a ligamento extenſo formatur. Fungus artic. *Jaegero* teſte, in cubitu curatu eſt facilior, quam qui in genu reſidet.

Praeterea fungi artic. externa cauſſa excitati, ſanatio pendet a tempore a quo exortus eſt. Quod ſi inveteratus eſt, tendines flexorum, praecipue in articulo genu, adſtringuntur atque imminuuntur; quo accidit, ut protenſione pedis inhibita, ancyloſis totius articuli acerrima oriatur. Ceterum lymphaticus humor ingeſtus in telam celluloſam aut incluſus in vaſis ligamentoſis, lenteſcit nec reſorberi poteſt: propter oleoſam ac pinguem conditionem vero ligamenta articuli, tendines, vaſa, et ipſa oſſa corrodit et depravat. Praeterea qui humorem lymphaticum circumdat ſaccus telae celluloſae, paullatim dureſcit et veluti calloſus redditur.

Si vero tumorem extenſae et ligamentoſae fibrae circumdant, cavendum eſt, ne tempore ſequenti tumeſcant, lente enim et calloſe factae cum tela celluloſa coaleſcunt, qua vitiata et deſtructa, ille terribilis et funeſtus tumor fungoſus ſenſim naſcitur, qui totum depravat articulum, totoque corpori tabiem et denique mortem infert. Cujusmodi periculoſa ſymptomata methodum curandi optimam

ſaepius fruſtrantur, e quibus chirurgus prudens facile colligere poteſt, quantum opus ſit, comparatione omnium ſymptomatum, ſedulaque inveſtigatione habitus corporis in aegrotis, fungo articulorum laborantibus, ad curationem, ita, ut nec imprudenter nec temere meliorem eventum polliceat, quam pollicere poſſit.

Hac circumſpectione inprimis opus eſt, cum ſymptomata gravia adſunt, qualia ſunt, dolor vehementiſſimus die nocteque urens, nimia augmentatio et amplitudo tumoris, exulcerationes frequentes in variis tumoris partibus, ex quibus acris corroſivus ichor effluit, perfecta oſſium corruptio, maxima articuli inertia et ancyloſis, totius membri tabes, febris hectica, quam brevi tempore mors inſequi ſolet.

Brambilla hunc tumorem nullo tempore atque ſub nullis circumſtantiis aperiri poſſe docuit, ſine certo mortis periculo. Nec adparens fluctuatio chirurgum prudentem et cautum ad hancce operationem adeo periculoſam adigere debet. Ut plurimum facta eſt inciſio et apertio, ne tumor augeatur atque inflammetur. Nunquam materia humida effluit, nunquam tumor ad ſuppurationem perduci poteſt. Plerumque inde febrilis naſcitur ſtatus, atque ex apertura excreſcit fungus carneus, qui exſtirpari nequit.

Warner (y) ait, „in caſibus congeſtionis materiae in

(y) Chirurgiſche Bemerkungen. p. 217.

articulo genu, saepe profecto obviis, atque cum ossibus ex suo loco egressis deformibusque ac dolore aucto et increscente in parte laesa peculiarique mala indole combinatis, ex mea quidem sententia, nunquam apertio in articulo vel scalpello chirurgico, vel caustico, vel alio modo quocunque instituenda est, licet non ignoro, hanc curandi viam a pluribus commendatam, atque spe quadam membrum conservandi adhibitam esse, et ne unius quidem casus memini, in quo ista curatio felici cum successu suscepta esset. Contra eam dolores adhuc magis etiam auxisse horrendaque symptomata super induxisse vidi."

Richter (z) „cave, inquit, „ne tumorem aperias, quamvis fluctuatio a ferro auxilium peti posse suaserit. Ut plurimum nihil, nisi pauxillum saniei effluit, atque gravissima symptomata inde subsequuntur."

Theden (a) refert casum, in quo fluctuatione adducebatur, ut tumorem adperiret, et operatio haud feliciter succedebat, quia profusio sanguinis immoderata insequebatur.

Jaeger (b) etiam apertionem tumoris vehementer dissuadet.

(z) Medic. chirurg. Bemerkungen. Gött. B. 1. 93. p. 313. Cap. 25.

(a) Neue Bemerkungen. B. II. p. 775.

(b) l. c. p. 26.

Quam quidem curationem medio vitae aevo, quod anno XL et XLV interjectum est, accommodatissimam esse ipso *Ford* visum est. „Ille vero morbus, si infantes invasit, ossa istius articuli, admodum infirma, saepissime cariosa reddit; cujusmodi autem aegrotantes, cum naturali quodam studio ducti, corpus et articuli semper movent, agitant, jactant, et ante omnia nimia actuositate eorum, qui assident aegrotis variis corporis motibus aut eriguntur aut tolluntur aut denique huc et illuc moventur; omnem saepius medicus frustratur curam, propterea quod, qui illo morbo laborat pars acrius turbatur et stimulatur, quam in adultis, quibus facile persuademus, quam multum expediat, in isto morbo immota tenere articula. In hominibus, aetate longe provectis, circulatio sanguinis languida impedit, quo minus optimum morbi eventum sperare possimus, mulieresque gravidae aut lactantes difficiles sunt sanatu."

Quibus rebus, recte perpensis, facile intelligi potest, in omnibus fungi articulorum generibus prognosin esse valde dubiam, fungi autem apertionem multis auctoribus, ut *Gohl*, *Purmann*, *Heister*, *Platner*, *Eller* etc., nec quidquam suadentibus, fere semper inveniri letalem. Evenit interdum, ut fungus articulorum, apertus quidem, sanari possit; quod quidem historiola ad finem proposita, quae spectat fungum scrofulosa eademque pessima conditione, satius probabit.

Curatio.

Quod ad fungi artic. curationem attinet, inprimis dignoscenda eſt morbi cauſſa, vel interior, vel exterior, inter quas, ſi ſanatio proficere debet, prima auferatur oportet. Cauſſae internae, quae fungum artic. efficiunt, ſunt vel rheumaticae, vel ſcrofuloſae, tunc etiam ſcorbuticae, arthriticae, ſiphyliticae etc.

Curatio fungi artic. rheumatici, et a cauſſa externa originem ducentis.

Bellio ſuadente, initio morbi, ſemper inflammatorio, praecipue topicis venaeſectionibus, viij aut x unciarum, utendum eſt, quae quidem utrique parti membri laborantis ſunt adplicandae e. g. patellae. Venaeſectiones autem repetendae ſunt bis aut ter, niſi ſtatus morbi aut aegrotantis vires illas vetent. Ipſe Bell cucurbitulis uti mavult, quam hirudinibus, quarum adplicationem, ſi magnus eorum eſt numerus, moleſtam eſſe, aliorumque remediorum uſum per aliquod tempus impedire putat.

Scarificatione finita, anteriori articuli parti, cui nulla cucurbitula applicata eſt, veſicatorium parvum ſtatim imponendum eſt, et ulcerum ſuppurationi, unguento, pulvere cantharidum mixto, poſt ſanationem vulnerum ſcarificatione illatorum ſubveniendum eſt. Quibus ſanatis alteri parti veſicatorium adplicandum eſt, atque ulcere iterum ſanato, idem repetendum eſt ex altera parte. Quod ſi ſemper

repetitur, continuum praebet ſtimulum, cujus effectus in inflammationibus profundius ſedentibus majoris momenti ſunt, quam excretio veſicatorio excitata.

Interim *Bell* purgantibus non calidis, ſed lenibus, cum diaeta antiphlogiſtica utitur. Inflammatione fere remota, ſi nullum ſuppurationis ſignum aderat, mercurium (*c*) optimo eventu adhibuit, adeo, ut ſalivationis prodromi orirentur, qua quidem conditione per quaedam hebdomada aeger perdurare debet. Mercurius optime in forma unguenti adplicatur, quia membri affecti frictio ſimul inſtituitur, quae quidem tali morbo maxime congruit. Parandum eſt unguentum ex axungia porci, et mercurius, parva tamen doſi, eſt immiſcendus, ut tribus vicibus per diem drachmae duae infricari poſſint. Quae quidem frictio non breviori tempore, quam hora, abſolvenda eſt, ſi uſum praebere debet.

Le Dran aliique auctores gallici embrocationes calidas commendant, nec *Bell* dubitat, quin uſus earum continuatus et repetitus ad primum iſtius morbi ſtadium multum utilitatis praeſtet, immo interdum effectus earum optimos eſſe poſſe putat, quamvis nunquam iis uſus eſt. Cum vero calori humido corpus relaxandi eſt facultas contendit *Bell*, praecipue vaporarium calidum, emolli-

(c) *Bell* Abhandl. v. d. Geſchwüren. p. 305. *Michaelis* in *Richters* Bibl. B. v. p. 113. *Schneider* ibid. B. vii. p. 600. Gazette de ſanté, 89. p. 63. *Hufeland* N. Annalen. B. 1. p. 215.

ens, recteque institutum in omnibus hujus generis morbis multum utilitatis afferre posse. Praeterea aqua calida illum praestat commodum, quod aquae in partem aegrotam impetus, indeque exorta frictio, multum prosint. Quae si omnia ante puris ortum adhibenda adhibuimus, morbus prospere sanabitur. Interdum aegrotus, tumore et dolore remoto, articuli usu privatur, quod quidem rigescit. De his infra.

Si abscessus inde oritur, nil ad sanitatem afferunt remedia huc usque relata, Nec tunc semper ex amputatione ultimum petendum auxilium est, si universus corporis status id non postulat. Si enim varii abscessus statim post ortum aperiuntur, saepissime hic tumor quoque aperiri potest, eum in finem, ne pus capsulam articularem corrumpat, id quod amputationem postulat. Setaceum in aliis abscessibus a *Bell* commendatum, ad secretionem puris augendam optimo eventu hic adhibetur. Cujus usus, quia nunquam periculosus est repertus, saepissime corporis partem conservavit.

Bell putat, amputationem non prius, quam morbo acrius et vehementius instante, adhibendam esse: ipse saepius feliciorem amputationis eventum compertus, i. e. plures amputatione aegrotos sanavit, diarrhoea aut aliis debilitantibus caussis confectos, quam statu plethorico vigentes. Fere semper febris hectica, amputatione facta disparuit, nisi corpus nimium exhaustum fuerat. Aegrotus si fuit plethoricus isto tempore, quo amputatio insti-

tuta eſt, febris inflammatoria amputationem ſequi ſolebat, quae quamvis ſaepiſſime evaneſceret, interdum tamen aegrotum repente necavit, aut tanta produxit ſymptomata, quibus nunquam liberari potuit aeger.

Ford (d) dixit: chirurgos graecos iſti morbo rivulis membro inuſtis reſtitiſſe, id vero ſaepius fefelliſſe: adſcribit illud *Pott* (e) diſtantiae inter laborantem partem et cor, ſanguinis fontem.

Hujus autem methodi fallacia melius explicata eſt in *Medical facts and obſervations Vol. IV. p.* 158. ubi impedimenta oſtenduntur, quae adplicationi ferri caudentis obſtant, nunquam enim illud prope a parte laborante adplicari poteſt. Ipſe auctor ferrum caudens integumentis condyli exterioris femoris inurendum eſſe putat, propterea, quod illud partibus adfectis proximum ſit. Cujus curationis eventus tribus variis caſibus monſtratur, qui quanquam non feliciſſimi evenerunt, fonticulorum tamen laboranti parti adplicatorum utilitatem probant, (praecipue ſi ſedi morbi proximae adplicantur).

Ford per plures annos in ſuperiore et inferiore condyli interni parte femoris cauſticis adplicatis, inflammatio-

(d) *Edward Ford's* Bemerk. über d. Krankheiten des Hüftgelenks, über weiſse Kniegeſchwülſte u. ſ. w.; aus d. Engl. 95. p. 151.

(e) cf. Vol. III. of Mr. *Earle's* edition of Mr. *Pott's* Works. p. 498.

nem ſemper animadvertit; ubi vero fruſtrata fuerat curatio indeque articuli exulceratio effecta, in parte genu exteriori pus erumpere ſolere vidit, indeque perſuaſum illi fuit, cauſticum methodo, qua ipſe utebatur, inflammationi quotquot fieri poteſt, reſiſtere quidem, ſed non articuli cavum penetrare. Poſteaquam vero, cum *Crowtheri* tractatum perlegiſſet, in fungo artic. peſſimae conditionis, eſcharas duas easdemque magnas in ſuperiori et inferiori condylorum exteriorum femoris parte, cum duabus aliis, lapide infernali antea in inferiori articuli parte excitatis, applicavit. Aegrotus imminutionem doloris paullo poſt ſenſit, tumor diminutus eſt, curatioque ſpem optimi eventus dedit. Ante omnia in ejusmodi tumoribus, qui vel ex arthritica vel ex ſcrofuloſa cauſſa aut ex vi aliqua externa aut ex metaſtaſi originem duxerunt, emetica commendantur. Plerumque tartari emetici doſis datur, quae ſufficit ad vomitum excitandum, ſequuntur minores doſes, quae nullum faciunt vomitum, et ſic continuatur nunc majoribus nunc minoribus doſibus. (*Hufeland*, *Meyer* (*f*). — *Michaelis* prae ceteris praedicat turpethum minerale ad gr. v. pro doſi.

Vſus purgantium lenium tali doſi continuatus, qualis alvum facit laxam, aeque ſalubris eſt, inprimis ſi tumor jam induruit. Cujusmodi ſymptomatibus ante omnia repugnandum eſt, ut tumor emolliatur, e. g. frictione, cataplasmatibus, vaporariis, ſapone cum oleo vel unguen-

(*f*) *Meyer* in *Richters* chirurg. Bibl. B. VII. p. 598.

to de althaea, emollitoque denique tumore resolventia remedia adhibeantur, oportet.

Fungo artic. *rheumatico*, aut vi externa orto, *Trampelio* (g) teste, remediis sequentibus saepissime optimo eventu mederi possumus: paratur nempe decoctum ex radicis bryoniae uncia cum libris quatuor aquae, colaturae additur aceti vini et salis communis $\widehat{aa}$, quantum solutionem sufficit. In hoc decoctum, continuo calore tepefaciendum, pannum laneum duplicatum immergas et calidum toties genu imponas, quoties id aegrotus perferre potest aut pannus frigescat. Interne remedia dedit quae sequuntur, aut imminuenda aut augenda, ut aegroti constitutio postulabat;

℞. Fol. sennae Dr. ij. Agarici Dr. j. Mann: calabr. Unc. ij. Conc. ebull. c. Aqu. commun. Unc. vij, ad Unc. vj. Decoct. percolat. admisc. Sal prunell. Dr. jß. Syr. rosar. c. senna Unc. jß. D. 5. Matutino tempore per horam cochlear unum sumendum, donec alvi depositio insequatur.

Remedia resolventia, hic adplicanda, sunt: Empl. saponatum, de galbano crocatum, oxycroceum; Unguentum mercuriale, oxymel squilliticum, unguentum e gummate ammoniaco et oxymelle squill. perdiem ter infricandum, post fumigationem cum baccarum Juniperi va-

(g) J *Arnemanns* Magazin für die Wundarzneywissenschafft. B. 1. St. 1. Gött: 1797. p. 32.

pore adhibitam: (ita tumores genu rheumaticos curarunt (*h*); *Michaelis*, *Richter*, *Hufeland*, *Fielitz*). Emplaſtr. e gummate ammoniaco et aceto vini (*Evers*), Spiritus *Mindereri* aut per ſe, aut ſelle tauri mixtus (*Richter*) (*i*); mixtum e farina laterum coctorum et aceti vini, etiam unguentum ſequens

℞. Lithargyrii ppti Dr. ij. Succi dauci rec. Unc, iij. Butyr, rec. non ſalit. Medull. oſſ. bov. āā Unc. ij. Cerae alb. Unc. ß. Camphor. Dr. ß. Miſc. et liqu. l. a. ut f. unguent. (*Brambilla*). „Suffitus baccarum juniperi, frictio unguenti mercurialis et cataplasma *Goulardi* (*Schneider* (*k*).“ Emplaſtrum ſequens: ℞. Gall. turc. Gummi galban. in aceto ſoluti. Aerug. Farin. fecal. āā Unc. j. Reſinae albae Unc. jv. Terebinth. coct. Unc. ij. M. f. Empl. in linteum craſſe illinendum, et per viij. dies renovandum (*Plenk*) Unguent. de ſtyrace (*Sternhuyſen*) (*l*); frictio cum ſpiritu ſalis ammoniaci cauſtico, fumigationes

(*h*) *Richter*, med. chir. Bemerk. *Cloſſius* obſervat. 19. *Evers* in *Richters* chir. Bibl. B. iv. p. 757. *Jaeger* chir. Cautelen B. I. *Schwediaur* Lond. med Journ. 1781. Auserleſ. Abh. f prakt. Aerzte. B. vii. p. 183. *Michaelis* in *Richters* chir Bibl. B. vi. p. 145. *Fielitz* ibid. B. vii. p. 778.

(*i*) *Richter* Chir. Bibl. B. xi. p. 205.

(*k*) *Schneider* in *Richters* ch. B. B. vii. p. 706.

(*l*) *Handelingen van het geneeſ.* . *Geſ.* ix. vid. Auserleſ. Abhandl. f. pr. Aerzte B. xi. p. 473. Hic unguentum largiter linteo illini, et quavis septimana renovari jubebat. *Neſſi* l. c. T. ii. p. 182. Neue Sammlung der auserleſenſten und neuſten Abhandl. f. Wundärzte. St. ix. p. 212.

aridae cum vapore volatili, e ſale ammoniaco et calce viva evoluto; oleum tartari foetidum etc. etc.

Cataplasmata ex herba chelidonii majoris contuſa pluries effectum praeſtarunt praecipuum (*Leidenfroſt*). Acetum lithargyrii et Sal ammoniacum, et cum articulus magis dolorificus erat, cum opio mixtum, *Kirkland* (*m*) adplicari juſſit. Decoctum cicutae, in quo ſal amoniacum et nitrum ſolutum, fomentationis frigidae forma, et nonnulla laxantia, fungum artic. nuperrime exortum ſanarunt (*Lentin*). Colophonium, externe ſalubri fuit eventu, forma pulveris cum ſpiritu vini magis quam emplaſtri. Sicco retis inſtar conglomerato cannabi inſeras ſubtiliſſime pulveriſatum colophonium, digiti transverſi altitudine, cum ſpiritu vini humectes membroque imponas; quod ſi exaruit iterum humecta, nec dimove a membro. Hoc nonnullis diebus praeterlapſis repetendum, et ſic continuandum eſt. Tumor, niſi nimium temporis duravit, tertio aut quarto fomento adplicato, evanescere dicitur.

Tumores in articulo pedis inferioris, *Hufeland* aliquoties methodo ſequenti curavit. Ad uſum internum praeſcribit: ℞. Extr. dulcamar. Dr. iij. ſeneg. Dr. ij. cicut Dr. j. Solve in Aqu. cinnam. Vin. antimon. Huxham. āā Unc. j. D. S. Per diem quater gttas XL—LXXX cum potu conveniente, et ſingulo octiduo laxans e pulvere radicis jalappae

(*m*) On the preſent ſtate of Surgery II. *Baylies* in Pract. Eſſays. vid. Auserleſ. Abhandl. f. prakt. Aerzte. B. I. St. II. p. 221.

cum mercurio dulci. Externe unguentum de digitali purpurea et de mercurio āā saepe adhiberi, emplaſtrum diaphoret. *Mynſichti* inſuper imponi; praeterea quotidie ſemicupio e calce viva et ſulphure āā ℥jß cocto uti jubet; ſimul prope fungum fonticulum vel corticem mezerei adplicari jubet, id quod praecipuum curationis putat. Ad finem balnea cum vitriolo martis adhibenda. Ipſe quoque *Bernhardi* (*n*) emplaſtrum fuliginoſum commendat, ceu efficaciſſimum remedium. Fungum articuli per XXIV. annos inveteratum et admodum magnum, primae ejus adplicationi cedere vidit.

Vt *Bell*, veſicatoria *Büchner* (*o*) quoque vehementer laudat; *Fahſel* (*p*) vero ait, veſicatoria valere, ubi remedia leniter reſolventia nil effecerunt, praecipue in fungis duris ad materiam ſpiſſam paullulum ſolvendam. *Cheſton* (*q*), ubi tumor lymphae extravaſatione ortus eſt, veſicatoria multum praeſtare ait. *Plenciz* (*r*) fungum in utroque genu ortum, aliis remediis fruſtra adhibitis, veſicatoriis ſuſtulit. *Brambilla* (*s*) praecipue orta exanthematum ſuſpicio-

(*n*) Cujus emplaſtri parationem invenimus in patris mei *Prakt. Handb.* 99. II. p. 193.

(*o*) De veſicatoriorum parti dolenti applicatorum uſu ſalubri §. 7. ſeq.

(*p*) D. de fungo articuli, Gött. 92. §. 56 ſq.

(*q*) l. c. p. 92. annotat.

(*r*) Acta et obſervata med. p. 135.

(*s*) l. c. §. 40.

ne, illa commendat. *Percival* (*t*) veſicatoria cum remediis internis, cortice peruviano et calomelano ad ſanandum fungum conjungit, *Ored* (*u*) emplaſtrum veſicatorium tumori circumdari jubet, et, hoc non amplius agente, unguentum digeſtivum cum pulvere cantharidum mixtum adhibet.

Van Wy (*v*) unguentum cantharidum commendat. Alii tincturam cantharidum infricandam praecipiunt, v. c. *de Meza* (*w*), *Plenciz* (*x*) Daphnen mezereum brachio imponi jubet. Juvat etiam uſtio, quae inprimis a *Pouteau* et *Lentin* (*y*) laudatur. Is enim l. c. p. 270 ita dicit: „De fungo articuli rheumatico vere teſtari poſſum, moxam miraculoſe fere conduxiſſe." Tamen vero dubitabat, moxam loco jam uſto imponere. Praeceptum hujus auctoris de hoc remedio conficiendo, ipſius verbis tradam. Haec vero T. I. p. 204 ſq. ita ſonant: Prenéz du cotton en laine, envelopez-le avec une bandelette de toile, large d'un pouce, ſur trois

(*t*) Medical eſſays. Vol. I. p. 183.

(*u*) De usu vesicat. in morb. artic. in Med. comment. Vol. 7. p. 234. *Akenſide* method of treating white ſwellings of the joints, in Medic. transact. Vol. 1. p. 134.

(*v*) Kurze Beſchreibung über d. Heilung weiſser Geſchwülſte. in d. Samml. auserles. Abh. f. p. Aerzte. T. V.

(*w*) Anhang zu *Strack's* Abhandl. von d. Petechenkrankheit.

(*x*) l. c. p. 134.

(*y*) *Pouteau* Oeuvres poſthumes II. (cylindri ex goſſypio) *Lentin* Beyträge zur ausübenden Wundarzneykunſt. (moxa) *Kundmann* Rariora artis et naturae p. 902. *Mautel* Ergo diuturno capitis artuum tumori ab obſtructione cauteria. Paris 1639. *Pallas* Reiſen. B. III. p. 50.

pouces de longueur. Que le cotton ſoit auſſi ſerré qu'il ſera poſſible, parceque alors le feu ſera plus vif, la bandelette bien arretée par quelques pointes d'aiguille, on aura un cylindre d'un pouce de diametre; ou coupera ce cylindre transverſalement, par la moitié avec un tranchant bien affilé, ce qui donnera deux cylindres à baſe très unies, et c'eſt cette baſe unie, qui doit toucher immediatement la peau, qu'on humecte auparavant avec un peu de ſalive, afin que le cotton s'y colle en quelque façon. Le feu etant mit au ſommet du cylindre, on attend qu'il en-ait conſumé une partie, alors on place le cotton ſur la peau, et on excite légérement le feu par le ſoufflle d'un eventail. Ce feu ne s'étend jamais au-delà de la peau, lors mème, qu'on a fait brûler ſucceſſivement deux ou trois cylindres ſur la mème place.

Acricruz quoque moxae et cylindrorum bombycis incenſorum adplicationem in tumoribus rheumaticis commendat, quam vero, tumore vehementer urente, ſymptomatibusque cariem indicantibus, periculoſam eſſe affirmat.

Saepiſſime electricitas multum attulit ad ſanationem ejusmodi tumoris, quod caſus quidam docet, de quo *Hunczovsky* (z) verba facit.

Medicamenta ſaturnina (*a*) egregia ſunt, praeſertim ſi

(z) Medic. chir. Beobachtungen auf ſeinen Reiſen u. ſ. w. Wien. 83. 8. p. 35. d. Einleitung.

(*a*) *Fahſel* l. c. §. 34.

fungus artic. ortum a caussis externis trahit, quae tamen tunc demum cum fructu adhibentur, quando plethora cessavit.

Jaeger (*b*) fungos articul. majores et minores ab externa caussa ortos fomentorum calidorum solventium usu, quotidie mane et vesperi per sesqui horam repetito, quatuor ad sex hebdomadum spatio sanavit: quod fomentum praepavit ex herbis amaris campestribus indeque efficacissimis, hortensibusque volatilibus, e. gr. e rorismarino, origano cretic., serpillo, artemisia abrotano, absinthia balsamina, lavendula, stoechade et floribus chamomillae etc. quibus cum vino sive aceto coctis, saponem venetum, sal ammoniacum pulverisatum, et si morbi habitus postulat, asam foetidam addidit. Posteaquam, fomentatione finita, oleum tartari foetidum et in aegrotis delicatioribus balsamum vitae externum infricasset, dua splenia oblonga et crassa, alterum scilicet tumori ipsi, qui sub patella exortus ex uno tantum latere eminet, alterum aversae parti forma literae V. ita adplicavit, ut fascia circulari, quam nec laxe nec arcte circumligata, nonnullis gyris sub genu inchoare solet, satis firmari possint.

Saepius, ubi per longius tempus tumor duravit, chartas conglutinatas inter splenia poni jubet, praecipue si tumor ad dimidium imminutus est et induruit, nec splenia sufficiunt ad compressionem.

(*b*) l. c. p. 15.

In fungo articuli exulcerato, calida fomenta, oleum tartari et balſamum vitae externum non adhibet, quia cutis humore egeſto vitiata eoque magis emollita facilius corrumpitur, indeque aegrotus urenti dolore afficitur. Ut plurimum, ſi puſtulae in cute apparebant, formicatione aliqua prurientes, fomenta non amplius adhibebat, ſed emplaſtro utebatur ſequenti: ℞. Gummi Caran. Galban. Tacamahac. ãã Unc. iij. Sarcocoll. Sandarac. ãã Unc. ijß. Ammoniac. Opopanac. Sagapen. ãã Unc. j. Cum aceto ſolv. et adde Pulv. ſtorac. calamit. Unc. j. Maſtich. Thuris Lap. calamin. ppti. ãã Unc. ß Rad. barb. caprin. Ariſtoloch long. et rotund. ãã Unc. ij. Cerae citrin. Unc. jv. Terebinth. comm. Unc. iij. Reſin. alb. Libr. j. M. et Coqu. ad conſ. emplaſtri, quod corio illitum per aliquot dies tumori ſuper imponi curavit, quoties autem detraxit, toties humore madens invenit.

Curatio fungi articulorum ſcrofuloſi.

Quamvis in fungo artic. ſcrofuloſo remedia antiſcrofuloſa juſte adhibentur, tamen ob hujus morbi efficaciam ſaepiſſime irrita ſunt. In hoc quoque fungi artic. genere amputatio non prius eſſe ſolet ſalubris, quam in corpore ſano.

Streitt (*c*) commendat linimentum e ſelle tauri, ſale communi et oleo nucum juglandium paratum. *Michaelis* (*d*), fungum genu ſcrofuloſum, quem amputationi reſiſtere medico viſum erat, veſicatorio prope articulum adplicato, et unguento mercuriali infricato, ſanatum eſſe, refert.

Kirkland ſuadet, ut in hoc morbo, ſuppuratione ineunte, loco maxime ſuſpecto emplaſtrum imponatur, foraminulo inſtructum, illudque foramen cataplasmate reſolvente obtegatur. Facta tumoris apertura, pureque egeſto, externe frigida aqua uti ſuadet, qua putat imminui irritabilitatem, firmari partes, impediri ingeſtionem humorum nimiam, repugnari cariei atque ejectioni oſſium corruptorum. Praeterea, viribus aegroti ad ſeparanda corrupta non valentibus, niſi molles penitus deſtructae ſint partes, totum membrum haud amputandum, ſed condylos carioſos ſerra procidendos eſſe docet. Quod ſimili modo ſuadet *Park* (*e*) quem nuper ſecutus eſt Perill. *Loder*, qui hanc operationem in cubitu puellae xvj. annorum me praeſente inſtituit.

(*c*) Abhandl. über d. Gebrauch eines würkſamen Liniments bey ſcroful. Geſchw. In d. Samml. f. pr. Aerzte. T. 12. p. 264. auch in d. Abhandl. d. Joſeph. Acad. B. 1. p. 382.

(*d*) *Richters* chir. Bibl. B. v. p. 113.

(*e*) Account of a new method of treating diſeaſes of the joints of the knee and elbow. Lond. 1783. 8.

Saepius accidit, ut, aegro fere ſanato, fructum voluptatis ab exoptata curatione perceptae novum malum praeter opinionem irruens auferat, dum, tumore ac dolore vel ex toto, vel ſaltem maximam partem ſublato, articuli rigiditas inſequitur. Haec vero eſt ſequela inflexi ſitus genu, in quo membrum per aliquod tempus fuit, ideoque minimus genu flectendi conatus acerbiſſimum adfert dolorem. Quod vitium niſi immoderatum eſt atque inveteratum, ſpes eſt, fore, ut omnino tollatur. Quo conſilio a praeſtantiſſimis chirurgis practicis ſequens commendatur remedium, ut nempe olivarum oleum purum membro dolenti, praecipue partibus muſculorum carnoſis, quotidie ter, quavis vice per horae ſpatium, inungatur. Adhibere etiam poſſumus oleum de pedibus bovinis et vitulinis, item cutem animalis recens mactati toti genu ſuper impoſitam, a quo remedio *Bell* egregiam utilitatem in talibus aegris ſaepe expertus eſt. *Lieutaud* (*f*) ſimile commendat remedium: pars laeſa, inquit, in ventrem animalis modo diſſecti et adhuc calidi immittatur. *Richter* (*g*) linimentum volatile praedicat, alii commendant unguentum de althaea vel nervinum, vel balnea tepida et fomentationes emollientes.

(*f*) Synopſis univers. prax. medic. Vol. 1. p. 400.

(*g*) Medic. u. chir. Bemerk. B. 1. Cap. 35. p. 314. Gött. 93.

Historia fungi artic. scrofulosi, aperti quidem, feliciter tamen curati.

Morbi historia, huc spectans, quam breviter exponere liceat, desumta est ex diario collegii clinici, cui praesunt viri, quos omnes Praeceptores Fautoresque veneror, *Loder*, *Hufeland*, *Succow* et *Pater* meus.

Maria Carolina Blumin, annos agens IX, et quod excurrit, habitu maxime scrofuloso, anno MDCCXCVII, post lapsum vehementiorem genu sinistri tumorem animadvertit.

Barbitonsor quidam per multum temporis spatium aquam vegetomineralem *Goulardi* sine ullo successu adplicavit; tumor enim in dies auctus, propter dolores inde excitatos articuli usum inhibendo, aegrotam in lectulo retinuit.

Deinde, cum circa festum paschale anni MDCCXCVIII. fluctuatio manifesta sese ostenderet, jussu Directorum collegii clinici, quorum auxilium parentes aegrotae petierant, parva incisio lanceolae ope in superiori genu parte ita est instituta, ut spatium palmae inter eam et articulum interjectum esset, sed vix alius humor, nisi sanguis effluxit et vulnusculum brevi post sponte coaluit. Post aliquot dierum spatium eadem distantia a parte exteriori femoris alia incisio instituta est, ex qua tenuis materia purulenta prodiit. Effluxus per aliquod tempus quotidie sub deligatione apparuit. Paulo post vero sub articulo in exte-

riori parte tres ſponte exortae ſunt aperturae, ſinibus inter ſe cohaerentes, ex qua ſimilis materia purulenta tenuis effluxit. Accepit aegrota non ſolum idonea medicamenta antiſcrofuloſa et roborantia interna, ſed etiam remedia externa corrigentia, ac praeſcripta ipſi eſt diaeta nutriens et roborans.

Tumorem vero modo apertum febris hectica cum ſudoribus nocturnis copioſis et debilitantibus inſecuta eſt. Propter dolores vehementes ſub genu, cataplasmata e floribus chamomillae vulgaris, ſambuci et herba hyoſcyami compoſita adplicata ſunt, aperturae ſimplici emplaſtro tecta ſunt. Sub quavis deligatione omnis preſſio evitata eſt, nec turundarum uſus locum habuit. Qui ſub articulo, in ſuperiori cruris parte adfuerunt ſinus, aperti, unguento baſilico, cum mercurio praecipitato rubro miſto, purefacti, denique ſanati ſunt.

Ceſſante dolore, cataplasma tum locum amplius non habuit, ſed remedia externa ad ſolvendum fungum, continua effluxione haud imminutum, nec non remedia interna ſupra indicata continuo adhibita ſunt.

Unguento mercuriali omnibus circa tumorem partibus infricato, et emplaſtro de galbano crocato impoſito, colophonium pulveriſatum, lino inſperſum, quod ſpiritu vini rectificato humectatum fuerat, adplicabatur.

Tandem, cum tumor nullo remedio ſolvi poſſet, em-

plaſtrum *Bernhardi* fuliginoſum ſuper impoſitum eſt, cujus adplicatione per tres menſes continuato, tumor tandem ceſſit, apertura inciſionis ante jam coalita. Morbus menſe Septembri ejusdem anni demum plane ceſſavit. Sequenti tempore balneorum et unguentorum emollientium uſu rigiditatem articuli tollendi cura eſt adhibita et quidem cum ſucceſſu.

Jam denique methodus, ab Ill. *Scherf* et *Schröder* commendata adhibita eſt, nempe uſus externus olei cocti fabarum St. Ignatii, quo facto brevi tempore puella ad priſtinam ſanitatem reſtituta eſt.

Theſes.

1.

Perforationem foetus, ſi matris vita eſt ambigua, inſtituere licet.

2.

Solutio placentae nullo modo eſt inſtituenda.

3.

Aut omnino non datur venenum, aut quodvis medicamentum ad venenorum claſſem pertinet.

4.

Fomentationes frigidae non ſemper in laeſionibus capitis utilitate gaudent.

5.

Nullum datur certum ſignum mortis.

6.

Functiones corporis naturales etiam vitales ſunt.

Jgu

5(15)